

- non est flagitium, mihi crede, adolescentulum
 scortari neque potare : non est ; neque fores
 effringere. haec si neque ego neque tu fecimus,
 non siit egestas facere nos. tu nunc tibi
 105 id laudi duci' quod tum fecisti inopia? 25
 iniuriumst ; nam si esset unde id fieret,
 faceremus. et tũ illum tuom, si esses homo,
 sineres nunc facere dum per aetatem decet
 potius quam, ubi te expectatum eiecisset foras,
 110 alieniore aetate post faceret tamen. 30
DE. pro Iuppiter, tũ homo adigi' mẽ ad insaniam !
 non est flagitium facere haec adolescentulum? *MI.* ah
 ausculta, ne me optundas de hac re saepius :
 tuom filium dedisti adoptandum mihi ;
 115 is meus est factu' : siquid peccat, Demea, 35
 mihi peccat ; ego illi maxumam partem fero.
 opsonat potat, olet unguenta : de meo ;
 amat : dabitur a me argentum dũm erit commodum ;
 ubi non erit fortasse excludetur foras.
 120 fores effregit : restituentur ; discidit 40
 vestem : resarcietur ; et—dis gratia—
 e(s)t unde haec fiant, et adhuc non molesta sunt.
 postremo aut desine aut cedo quemvis arbitrum :
 te plura in hac re peccare ostendam. *DE.* ei mihi,
 125 pater esse disce ab aliis qui vere sciunt. 45
MI. natura tũ illi pater es, consiliis ego.
DE. tun consulis quicquam? *MI.* ah, si pergis, abiero.
DE. sicin agis? *MI.* an ego totiens de eadem re audiam?